



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**R. P. Vincentii Brvni, Socie-
tatis Iesv, Meditationes,
In Septem Praecipua Festa B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1598

V. De Annunciatione B. Virg.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)


DE ANNUN-
CIATIONE ANGELI
AD B. VIRGI-
NEM.

MEDITATIO V.
EVANGELIVM.

MISSVS est Angelus Ga- LUC. I.
 briel à Deo in ciuitatem
 Galilæe, cui nomen Naza-
 reth ad Virginem desponsatam
 viro, cui nomen erat Ioseph, de
 domo Dauid, & nomen virginis
 M A R I A. Et ingressus Angelus
 ad eam dixit. Ave gratia plena,
 Dominus tecum, benedicta tu
 in mulieribus. Quæ cum audis-
 set, turbata est in sermone eius,
 & cogitabat, qualis esset ista
 salutatio. Et ait Angelus ei. Ne
 timeas M A R I A, inuenisti e-
 nim gratiam apud D E V M. Ecce

F 2 con-

126 MEDITAT. DE
concipies in utero, & paries filiū,
& vocabis nomen eius I E S U M.
Hic erit magnus & filius altissimi
vocabitur, & dabit illi Domi-
nus Deus sedem David patris ei⁹,
& regnabit in domo Iacob in æ-
ternum, & regni eius non erit fi-
nis. Dixit autem Maria ad Ange-
lum. Quomodo fiet istud, quoniā
virum non cognosco? Et respon-
dens Angelus dixit ei. Spiritus
sanctus superueniet in te, & vir-
tus altissimi obumbrabit tibi. I-
deoque & quod nascetur ex te
sanctum vocabitur filius Dei. Et
ecce Elisabeth cognata tua, & i-
psa concepit filium in senectute
sua, & hic mensis sextus est illi,
quæ vocatur sterilis, quia non
erit impossibile apud Deum o-
mne verbum. Dixit autem Ma-
ria. Ecce ancilla Domini, fiat mi-
hi secundum verbum tuum. Et
discessit ab illa Angelus.

FIGV.

FIGURAE.

1. **A**BRAM misit unum de
seruis suis in Mesopotamiam,
vt inde filio suo Isaac adduceret Re-
beccam in sponsam. *Gene. 24.*
2. Angelus Dei apparuit matri
Sampsonis & dixit. Ecce concipies
& paries filium, is Nazareus erit,
& incipiet liberare populum Israel. *Iudith. 13.*
3. Abigail, auditis legatis David, *1 Reg. 25.*
qui maderat eam sibi adduci in vx-
orem, adorabunda in terra respon-
dit, Ecce famula sua sit in ancil-
lam, vt lauet pedes seruorum Do-
mini mei.
4. Esther Virgo ex captiuitate *Esther. 2.*
Israhelitici populi, ob pulchritudi-
nem, morumque honestatem tan-
topere placuit Assuero Regi, vt eam
ex omnibus puellis elegerit in spon-
sam suam & Reginam.
5. Moyses, cum filij Israhel splen- *Exod. 34.*
dorem vultus eius ferre non possent

in descensu ex altissimo monte, in quo cum Deo erat conuersatus, velo obtexit faciem suam, vt agere cum eis posset.

PROPHETIAE.

- Esaiæ 45. 1. **R**ORATE cali desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem.
- Mich. 1. 2. Ecce Dominus egredietur de loco suo & descendet.
- Isaiæ 36. 3. Deus ipse veniet, & saluabit vos.
- Psal. 71. 4. Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.
- Isaiæ 7. 4. Ecce virgo concipiet, & pariet filium.
- Jerem. 31. 5. Creauit Dominus nouam super terram, sœmina circumdabit virum.
- Ezeç. 44. 6. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.
- Eccl. 24. 7. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo.

CONSIDERATIONES.

- Cant. 2. **I**AM tempus erat vt pura illa & simplex turtur, post tam diuturnum silentium aperiret os suum.

faum, vocemque suam tantopere
 desideratam edere in terra nostra in-
 ciperet, à qua tanta gloria Deo in cæ-
 lo, & tanta pax & lætitia in terra ho-
 minibus euentura erat. Tempus
 quoque erat vt fulgens illa aurora
 inciperet radios suos emittere, & no-
 ui solis & tam diu exoptati & expe-
 ctati ab omnibus gentibus aduentus
 inditium dare. Erat mundus totus
 profunda peccati nocte immerfus,
 & cæca ignorantia caligine oper-
 tus. Vnde omnes vna voce clama-
 bant dicentes. *Rorate cæli desuper,*
& nubes pluuiarum instum, aperiatur terra &
germinet saluatorem. Descendat tan-
 dem filius vnicus æterni Patris, ex
 suis altissimis abyssis, & velut plu-
 uia voluntaria defluat in nostræ
 mortalitatis vellus, atque instar stil-
 licidiorum de cælo stillantium di-
 uinis suis donis fertilem reddat
 hanc nostram sterilem & infæcun-
 dam terram. Rumpe tandem Do-
 mine tuos cælos, & descende; mon-
 tes enim à facie tua liquefcent, & no-
 men tuum omnibus inimicis tuis
 innotescet. O quot Sancti Patriarchæ,
 Reges & Prophetæ optarunt videre

Cant. 6

Agg. 2.

Isa. 45.

Psal. 71.

Esa. 64.

diem illum, quo inuisibilis & altissimus Deus se videndum erat præbiturus, & cum hominibus conuersaturus? Quot lachrymas ea de causa profuderunt, quot preces, quot ardentis gemitus in cælum miserunt! Neque solum hi sancti Patres, verumetiam angeli Sancti in cælo miserentes humanæ perditioni, & de nostra restauratione solliciti, velut ij, qui erant Patri æterno longe carissimi, proni ante thronum gloriæ, his verbis supplicabant, *Quare traduntur bestijs animæ confidentes sibi?* Esto, id postulare tuam iustitiam, nunc aduenit tempus exercendæ misericordiæ. Itaque *beni-*

Psal. 73.

Psal. 50.

gne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt edificentur muri Hierusalem, nempe cælestis. Verum multo magis illæ sanctæ animæ, quæ tanto tempore obscuro carceri manserunt inclusæ, sub tyrannica fortis armati custodia, suæ redemptionis cupidæ, continuis precibus misericordes Creatoris aures, mæstis que cum gemitu vocibus pulsarunt dicentes.

Psal. 43.

Vsquequo auertes à nobis faciem tuam, & obliuisceris inopia & tribulationis nostræ? Quousque efferet & gloriabitur

tur inimicus noster super nos? Exur *Psal. 12.*
 ge Domine adiuua nos per nomen
 sanctum tuum. Mitte fortissimam *Psal. 43.*
 illam mulierem, quæ sua prudentia
 & humilitate conterat arrogantis
 & infernalis istius serpentis caput.
 Nascatur tandem gentis nostræ glo- *Gene. 3.*
 ria, & stirpis nostræ spes vnica. Ecce
 omnia iacent quasi cæca nocte ob-
 ruita, donec tu iustitiæ Sol tuam cla-
 ram optatamque lucem mundo re-
 stituas. Desere tandem ô vere no- *Gene. 28.*
 ster Iacob paternam domum, & ab
 æterna requie tua descende, quia iam
 tempus est, vt manum admoueas du-
 ro iastro, & in sudore vultus tui tuæ
 dilectæ proli victum prouideas. Ec- *Gene. 30.*
 ce pauper pedibus nudis, soli baculo
 nixus transibis aquas Iordanis: &
 in peregrina patria humilis pastoris
 instar pasces gregem duri soceri tui.
 Sed quando postea locupletior factus
 & pecoris & auri in paternū regnum
 reuerteris, tunc gemino stipatus ag-
 mine amplam Patris tui domum nu-
 merosa familia complebis.

2. A T quæ, ô Virgo prudentissi-
 ma, supra omnes diuino amore, &
 summo salutis nostræ desiderio fla-

F 3 grans,

grans, tuæ extitere preces, qui gemitus ex inflammato pectore tuo erumpentes vt ad misericordiam pietissima Patris cælestis viscera erga populum suum commoueres? Plane credibile est, Beatiss. Virginem, vti erat Spiritu sancto plena, & in prophetarum, totiusque sacrae scripturae lectione versata, probè sciuisse, proximum esse Saluatoris mundi aduentum: imò admodū probabile est, eam specialem reuelationē habuisse se proprijs oculis eum cōspecturam. Nam si seni illi Simeoni, quod maximo desiderio incensus esset videnti CHRISTI, à Spiritu sancto reuelatum est, eum ante mortem visurum CHRISTVM Domini: multo fide dignius est hanc gratiam non negatam ei, cui supra omnes tantam donorum, charismatumque diuinorum impertiuerat copiam. Accedit, quod ardens eius desiderium, longe excesserit non modo Simeonis, sed omnium antiquorum Patrum, atque adeo ipsorum Angelorum desiderium: nec tamen ideo aut reuelatum ei fuit, aut ipsa, vt erat humilima, vnquam cogitauit se fore eius Matrem. Certior

ita

itaque à Spiritu sancto facta de
tam eximia gratia, quando in dul-
cem illam contemplationem inci-
debat, se in terra visuram Condi-
torem vniuersi, & generis humani
redemptorem, ac dilectum illum a-
nimæ suæ super omnem dilectum,
dici non potest, quemadmodum ni-
mia teneritudine & gaudio liquefa-
ctum fuerit cor eius, & quasi diutur-
niori morę impatiens, plena amoris
fiducia ad ipsum Dominum cõuersa
dicebat. *Si inueni gratiam in conspectu*
tuo, offende mihi faciem tuam. & sentiens *Exod. 33.*
in se diuinum responsum, *Ostendam*
tibi omne bonum, ineffabili quodam
lætitie sensu & pace afficiebatur, tota
rapta & absorpta in Deum Salua-
torem suum.

3. **C O N S I D E R A**, quomodo
cum iam plenitudo temporis adue-
nisset, in quo Sanctissima Trinitas
per æterni verbi incarnationē decre-
uerat generis humani procurare sa-
lutem, sua immensa caritate, qua hu-
manam naturam prosequeretur in
primis commota, atque etiam cæle-
stium spirituum, totq; suorum amico-
rum in terra existentium, & sigilla-
tim huius Virginis tantopere dilectę

humilibus ardentissimisque precibus, quibus illa quasi sagittis pretiosum cor suæ Maiestatis vulnerabat, cæleste illud Concilium coëgerit secundum illud Prophetæ. *Init. Deum consilium, cogit concilium.* In quo primo fecit audientiam iustitiæ & misericordiæ, illius rationes audiuit, & huius supplices preces benignè accepit: deinde sermonem ad beatę illius patriæ ciues de restituendis eorum ruinis, & liberandis mortalibus habuit, in quo sublime mysterium in illud vsque tempus occultatum, æternumque mentis suæ propositum, de mittenda in mundum altera diuina persona, nempe Verbo æterno in hunc finem, patefecit; vt sicut per illud omnia facta sunt, ita quoque oia per idem reficerentur & restaurarentur, & vt persona diuina satisfaciendo in humana natura iustitiæ pariter & misericordiæ satisfaceret. Vbi expende quanta lætitia exilerint omnes illi beati Spiritus, quamque admirati sint immensam bonitatem, & infinitam charitatem, ac sapientiam sui Conditoris: atque ilico ex diuinitatis thesauro in cælesti illo confesso publicatum est

nomen

Esaiæ 16.

nomen MARIÆ, decretumque
per illam, in illa, & cum illa totum
hoc ineffabile mysterium esse com-
plendum. Deinde euocato ad se Ar-
changelo Gabriele, Dominus illi fa-
licis huius legationis literas tradidit,
in quibus salutatio Virginis, incar-
natio Saluatoris, redemptionis mo-
dus, plenitudo gratiæ, & sublimitas
gloriæ, continebatur. Itaque missus est
Angelus Gabriel à Deo ad Virgine.
Missus est Angelus, quia semper con-
suevit Deus sua diuina mysteria ho-
minibus per angelos patefacere. Mis-
sus est angelus, vt sicut angelus fuit
causa nostræ perditionis, licet per an-
gelum daretur initium nostræ salu-
tis, Neque hic angelus fuit ex infima
Hierarchia, è qua solent ferè mitti ad
homines, sed ex suprema, cuius in-
ditium manifestum potest sumi ex
nomine. Nam Gabriel significat for-
titudinem Dei, & rectè, quia venit ad
annunciandum illum Dominum,
qui solus est fortis & potens; qui in
mundum venit ad expugnandum &
exterminandum ex illo tenebrarum
Principem, ad destruendam sua mor-
te mortem nostram, ad spoliandum
infernum, & potenti brachio liberā-

dum omnes animas, quæ ibi inde ab initio mundi manserunt inclusæ, Fuit hic Angelus missus, nō ab alio angelo Superiore, sicut ordinariè à Domino in reuelationibus homini faciendis fieri solet, sed immediatè à Deo ipso, idque primo, ob magnitudinem negotij tractandi, quod non conueniebat per inferiores angelos substitutos peragi, sed per ipsam personam, angelorum Principis. Secundo, ratione ipsius Virginis: nec enim congruens videbatur, vt tale mysterium alijs angelis, excepto Gabriele, prius innotesceret quam MARIAE: Etsi enim Deus angelis manifestaret aduentum personæ verbi ad hominem redimendum, tamen huius redemptionis modum tantum reuelauit Gabrieli, & hic virgini. Tertio admodum conueniens erat Gabrielè à sanctissima Trinitate amandari, quia in diuinissimū illud opus confluere debebāt, potentia Patris, sapientia filij, & gratia ac misericordia Spiritus S. Verum considera ad quē sanctissima Trinitas, Deus omnipotens tam magnū Legatum amandet. Certū est, nō amādari ad Reges & Principes mundi, sed ad pauperculā Virginem.

B. VIRGINE.

197

ginē. Ad hanc misit altissimus suum
angelum, qui ei diceret, *Concupivit rex
speciē tuā.* O virgo admirabilis, omni
laude & honore dignissima. O mu-
lier super oēs alias venerabilis, per
quam veteres Patres salutis suæ con-
secuti sunt remedium, & totus mun-
dus veram vitam. Fuit ergo missus
angelus ad virginem, & merito. Sem-
per enim angelis similima fuit vir-
ginitas, tum ob vitę puræ conformi-
tatem, tum ob meriti æqualitatem.
Virgo carne, virgo mente, & virgo
professione. Virgo denique, qualem
descripsit Apostolus, *mente & cor-
pore sancta.*

1. Cor. 7.

4. I A M verò dum in cælo tantus
fit apparatus, totaque legatio stipata
tanto angelorum numero in re tan-
ti momenti adornatur, cōuerte men-
tis tuæ aciem ad contemplandum,
quid sub hoc tempus egerit illa hu-
milis virguncula de Nazareth, illa
tam pusilla & abiecta in seipsa, tam-
que magna & excellēs in oculis Dei,
quæ eius desideria, quæ cogitationes
eius fuerint? O quā remotę & discre-
pantes ab eo, quod Deus de ea cogita-
rat & decreuerat. Cōsidera ergo, quo-
modo illa versata fuerit in secreto cō-
clau-

clau-

clauis clauis obserato tota precibus ad
 cælestem Patrem fundendis intenta.
 Tenebat quidem prudentissima vir-
 go ostium illius clausum, sed homi-
 nibus tantum non Angelis. Ibi ergo
 erat tota in seipſa recollecta, & ardenti
 desiderio rapta aduentus filij Dei in
 carne, & redimendi generis huma-
 ni. Nec dubium, quin amplius solito
 inexplicabili dulcedine & suauitate
 liqueſcens (ac si iam proximum cer-
 neret, cuius amore ingemiscebat &
 suspirabat) illachrymans dixerit.
 Quando tandem aderis dulcissime
 Domine, Deus cordis mei? Quando
 merebimur intueri faciem tuam? bea-
 tus venter qui te portabit, beata bra-
 chia quorum amplexu teneberis, beata
 vbera è quibus lac exfuges. Virgine
 itaque mente humili, & corde deuo-
 to in hunc modum loquente, ilico
 Angelus Domini interuenit, multa
 luce circumfusus, candidaque reful-
 gens veste, vultu non terribili, quo a-
 lijs visendum se præbere solet, sed
 toto mansueto & gratioso, eaque re-
 uerentia, quam declarari decebat illi,
 quæ paulò post futura erat mater
 Domini; tanta quoque submissione,
 vt videretur adorare mulierem, qui
 aliàs.

hunc

aliàs adoratus erat à viris. Initium ergo legationis suæ faciens dixit virgini, *Aue gratia plena*, ac si diceret. Pax tibi sit & gaudium, quæ ab omni maledictione, & ab omni peccati macula es immunis. Lætare ô tota pulchra, tota immaculata, & tota gratia plena. Vide quomodo Angelus eam salutet tanquam suam Dominam, omnique honore dignam, & à Deo singulariter dilectam & electam. Neque verò inchoare salutationem suã alio verbo debuit, quam illo lætitiæ pleno: hac enim noua salutatione Saluatoris mundi aduentum annũciavit, qui planctum EVAE in lætitiã, tenebras nostras in claram lucem, mortem in æternam vitam conuertit. Recte autem subiunxit, fuisse plenam gratia: nam plena erat illo, qui auctor est, & dator omnis gratiæ. Magna verè & abundans fuit MARIAE gratia, quæ cælo gloriam attulit, terræ Deum genuit, angelis attulit gaudium, & mundo pacem perfectam. Fuit quoque *plena gratia*, quia gratiæ, quæ alijs sanctis particulatim sunt concessæ, eæ omnes in summa perfectione & plenitudine in ea existerunt. Illa siquidem fuit vellus,
in

in quo filius Dei instar rosis de caelo delapsi cum vniuersa diuinitatis suae amplitudine se collegit, quod vellus postea in ligno crucis expressu aspersit & irrigauit, instar salutaris pluuie, omnes partes terrae. Et quid mirum, plenam gratia fuisse illam, cum qua erat Dominus ipse. id potius mirum fuit, quomodo Dominus, qui misit Angelum ad Virginem iam praesto adfuerit Virgini. Bene ergo dixit ei Angelus. *DOMINVS TECVM*: tecum nimirum, in mente per abundantiam gratiae, velut tuus Deus, tecum erit in vtero per assumptionem carnis, velut tuus filius, & tecum per ardentissimam caritatem in corde, velut tuus sponsus. Est quoque tecum Pater, quia is genuit illum, quem tu concipies, tecum est filius, quia de carne tua illum vesties. Et tecum est Spiritus sanctus, cuius virtute concipies. *Benedicta tu in mulieribus*: merito benedicta, quia in semine tuo benedictae sunt omnes gentes. Et benedicta in mulieribus, imò supra omnes mulieres, Primò, quia praerogatiuae virginitatis, adiunxi donum foecunditatis; imò quia prima omnium cum voto obtu-

obtulisti virginitatem Deo, in omni-
 bus alijs mulieribus maledictionem
 legis rescidisti: sic prorsus, vt sicut in *Deut. 7.*
 veteri lege steriles habebatur pro ma-
 ledictis, sic post hanc oblationem tuā
 status virginitatis antelatus, & bea-
 tior factus est statu matrimonij. Se-
 cundo, quia libera exististi ab omni-
 bus mulierum maledictionibus, que
 sunt, concipere cum virginitatis ia-
 ctura, gestare vterum cum fastidio &
 pœna, & parere cum summo dolore.
 Concepisti enim saluo virginitatis
 flore, grauida fuisti sine molestia, &
 peperisti cum lætitia. Neque solum
 inter mulieres benedicta fuisti, sed
 etiam inter Angelos ob gratiæ ple-
 nitudinem, & puritatis tuæ præstan-
 tiam: benedicta denique inter om-
 nes Sanctos per tuæ charitatis emi-
 nentiam & perfectionem. O quam
 suavis est sonus verbi, *benedicta*, no-
 stris auribus, quam dulcis palato no-
 stri cordis: nullus enim tantus pec-
 cator est, qui non expertus sit se mul-
 tas gratias & benedictiones per Ma-
 riam accepisse. Quare vnusquisque
 inuitatur ad rependendam illi gra-
 tiam, & laudandum eam, vt dicat,
Benedicta tu.

s. CON.

5. CONSIDERA quomodo cor
 Mariæ ad angelicæ salutationis vo-
 cem totum trepidarit non ob inso-
 litum Angeli conspectum (sæpe e-
 nim visebatur ab angelis) sed ob di-
 uinarum laudum, & epithetorum ex-
 cellentiam quæ suis meritis existi-
 mabat longe esse maiora. Proprium
 enim humilium est, demissè de se
 sentire, & difficulter credere quæ iu-
 dicant esse supra se. Turbata est itaq;
 MARIA, sed non perturbata, multo
 autem minus locuta. Secuta nempe
 exemplum patris sui David dicentis,
 Turbatus sum, & non sum locutus, cogita-
 ui dies antiquos. Maria enim turbata
 est, sed nō locuta, perpendens qualis
 esset ista salutatio. Turbabatur ex vir-
 ginea verecundia, nō perturbabatur
 ex animi constantia; tacuit & cogi-
 tauit intra se ex singulari prudentia.
 Reuoluebat mente singula verba hu-
 ius cælestis nunciij, & comparando
 paruitatem suam, cum magnitudine
 Dei, & infinita eius perfectione, ni-
 hil in se inueniebat dignum tanta
 prærogatiua. Quare cogitationum
 variarum tumultu implicita tota in-
 terius commouebatur: quod diuini-
 tus cognoscens angelus, humili &
 blando

Psal. 76.

blando sermone proprio eam nomine compellans dixit. *Ne timeas MARIA, quia inuenisti gratiam apud Deum*, ac si dicere vellet. Magnam timendi causam habuit EVA, quæ nō modo se, sed omnem quoque posteritatem suam diuina gratia spoliavit: at tu quam causam timendi habes, quæ gratia es plena, Dominum habes tecum, & benedicta es in mulieribus? Tu, inquam, quæ gratiam ab Eua amissam, cum humili mente, pijsque desiderijs sedulo quæsiuisses, apud Deum nunc inuenisti? O humillima MARIA, cur turbaris, cur miraris de aduentu Angeli? Ecce venit ad te is qui longè maior est Angelo: non mireris propter angelum Domini, cum Dominus angeli tecū sit. ac denique quid mirum à te videri angelum, quæ in terra vitam agis angeli? Quin ergo visitet angelus illam, quam habet in viuendi ratione sociam? cur non salutabit, quæ vna cum illo est ciuis Sanctorum, & domestica Dei? ô si scires MARIA, quantum altissimo placeret tua humilitas, & quanti te faciat, profecto non reputares te indignam hoc colloquio angelico. Iam qua ratione arbitra-

bitra-

bitraris te indignam gratia angelorum, quæ inuenisti gratiam apud Deum, inuenisti quem quæsisisti, inuenisti quem ante te inuenire potuit nullus. Quid verò est gratia illa, nisi pax quædã inter Deum & homines, destructio mortis, & vitæ reparatio? Hæc ergo gratia est apud Deum à te inuenta, quod, vti subiecit Angelus, *concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.* Ex hoc filij nomine, prudentissima virgo, intelligere poteris, quã magna & sublimis sit gratia illa, quam apud Deum inuenisti, quia paries Saluatorẽ (sicut dixit angelus ad Iosephum) qui saluabit populum à peccatis eorum. Paries filium qui restituet salutem, concedet remissionem, adferet lucem, donabit vitam, & portas cæli aperiet.

6. **CONSIDERA** angelum, vt clarius exponeret Virgini quantum paritura esset filium, subiunxisse, *Hic erit magnus, & filium altissimi vocabitur, &c.* Recte autem dicit fore magnum, quia merebitur appellari *filium altissimi.* imò æqualis erit altissimo. Quomodo enim non poterit magnus vocari ille, cuius magnitudo non habet finem? de quo scriptum est. *Quis magnus*

*Psal. 70.
Luc. 1.*

gnus sicut DEVS noster? Magnus ergo
 homo fuit Iesus, magnus doctor, &
 magnus Propheta, de quo scriptum est,
Veniet Propheta magnus, & ipse renouabit
Hierusalem, quasi diceret, Angelus ad
 Virginem. Paries paruulum infan-
 tulum, sed in illa paruitate conside-
 ra eius magnitudinem, quia à Deo
 magnificabitur coram toto mundo,
 vt omnes Reges eum adorent, & o-
 mnes gentes ei seruiant? O admiran-
 dus puerulus, & verè paruulus, sed *Psal. 71.*
 non in sapientia: quia est ille, de
 quo scriptum est, quod *sciet reprobare*
malum & eligere bonum. Studeamus *Isa. 7.*
 ergo & nos fieri paruuli & pueruli,
 imitando eius humilitatem & inno-
 centiam: discamus ab eo, qui est mā-
 suetus & humilis corde, vt magnus *Matt. 11.*
 ille DEVS non sit sine causa factus
 homo paruulus pro nobis, ne fru-
 stra sit mortuus, ne frustra sit cru-
 cifixus. Imitemur eius mansuetu-
 dinem, desideremus fieri passio-
 num eius participes, & offeramus
 eum pro mediatore inter DEVM
 & peccata nostra, idcirco enim ipse
 est natus, idcirco nobis est datus.
 Subiecit deinde Angelus Domi-
 num illi daturum *sedem David*
patris

Psal. 79

Esa 6.

Apo. 19.

patris eius; regnaturum que in domo Iacob
 in æternum. Magna res non est, ei qui
 sedet supra Cherubinos in excelsis
 illo & sublimi gloriæ throno (sicut
 vidit Propheta) promittere sessionem
 in throno terreno David Patris sui.
 Quare aliam Hierusalem, aliamque
 domum Iacob nobiliorem & subli-
 miorem intellexerit Angelus, in qua
 CHRISTVS regnaturus erat in æ-
 ternum, cuius regni nullus futurus e-
 rat finis. Quæ verò alia esse potest
 præter ipsas fidelium animas man-
 suetudinis David, & fidei Iacob imi-
 tatrices? In his nunc regnat CHRI-
 STVS per gratiam, regnabitque in æ-
 ternum per gloriam. Beati in quibus
 regnat IESVS, quia iidem cum ipso
 quoque regnabunt sine fine. O quam
 gloriosum est hoc regnum, in quo
 vna conueniunt & conspirant om-
 nes Reges & Principes terræ ad lau-
 dandum & glorificandū illum, qui
 est super omnes Reges & Dominos.
 O vtinam benedictus IESVS quan-
 do veniet in regnum suum, memor
 sit mei peccatoris, & in die illo, quo
 regnum tradet Deo Patri suo, me
 dignetur in numerum suorum ele-
 ctorum referre, vt à me vna cum alijs
 filijs

filijs suis laudetur & colatur. Veni
interea mi dulcis IESV, & omnia
scandala de regno tuo, id est, anima
mea, tollas, vt tu solus in ea regnes, *Matt. 19.*
& in æternum eam possideas.

7. CONSIDERA quomodo
huc vsque Virgo accipiti animo per-
tractans qualis esset ista salutatio,
prudētissimè conticuerit, volens
potius humiliter silere, quam temerè
loqui. At vbi instructa & roborata
fuit, tum Angeli verbis exterius pro-
latis, tum ab ipso Domino, qui inte-
rius illam alloquebatur, & fide timo-
rem, gaudio verecundiam pellebat,
dixit ad angelum. *Quomodo fiet istud,
quoniam virum non cognosco?* quasi di-
ceret. Cum Dominus meus consci-
tæ meæ testis, conscius sit voti, fir-
miq̄ue propositi ancillæ suæ de ser-
uanda virginitate, aueo cognoscere
viam & rationem intelligere qua di-
uinæ Maiestati placeat me illud præ-
stare. O quæstio sapientiæ plena, &
tanta virgine dignissima: iam enim
illa legerat Virginem concepturam,
parituramque redemptorem; quare
diuini illius oraculi certa, postulat
ab Angelo, quo modo & ordine id
sit adimplendum, eo quod Propheta

G qui

qui id futurum prædixit, non simul exposuit modum quo id fieri debuit, sed exponendum Angelo reliquit. Respondit ergo angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Erat quidem Virgo iam ante, Spiritu sancto plena, quia erat plena gratia, & Dominus erat cum illa, sed idem spiritus de nouo cum nouis donis & charismatibus, quæ ante non habuerat, in illam est illapsus. Nam salua virginali integritate concipere, esse pariter Virginem & fœcundam, esse matrem filij Dei, hæ omnes nouæ fuerunt prerogatiuæ & gratiæ, quæ à Spiritu sancto illi superuenerunt. Vnde bene subiunxit Angelus, *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*, quasi diceret. In hoc tam nouo & sublimi mysterio, à domino in te declarando, virtute altissimi ita roborabere & firmabere, ut sentias gratiam, & non amittas pudicitiam. Concipies filium, qui virginitatis tuæ non violabit signaculum, sed instar gratissimæ, suauissimæque pluiiæ descendet in te de cælo, & in utero tuo, tanquam sponsus in thalamo, requiescet. Vide, quomodo angelus paucis his verbis perspicue significarit, omnes tres diuinas

per-

personas concurriffe ad hoc mysterium, quia Spiritus sanctus cum suis maximis donis superuenit Virgini. Pater sua virtute obumbravit, filius Dei ex illa carnem assumpsit. Adiecit deinde Angelus exemplum miraculose cōceptus sterilis cognatæ eius Elisabeth, non ut virginem quasi dubiam & incredulam confirmaret, sed ut miraculum miraculo accumulans, gaudium gaudio adiungeret, atque ita hoc nouo gaudio magis idonea redderetur, ad recipiendam ineffabilis illius dulcedinis & lætitiæ, quam aduentus filij Dei erat allaturus, copiam & redundantiam. Accedit, quod admodum conueniēs erat arcanum illud de Elisabetha, quod postea erat publicandum omnibus, primum ex ore angeli patefieri Virgini, ut quæ iam in terra à Domino diuinorum consiliorum particeps facta esset. Cum ergo cælestis nuncius legationem suam absoluisset, tacuit, ac reuerenter, & supplicantis gestu ingenti desiderio consensum Virginis præstolabatur.

8. LAETARE nunc virgo filia
Sion, exulta in corde tuo filia Hieru-
salem,

150 **MEDITAT. DE**

salem, ecce iam rem audisti & credi-
 disti, audisti pariter & modum, vtrū-
 que valde admirabile & iucundum.
 Age ergo quoniam Dominus auri-
 bus tuis tantum attulit gaudium &
 lætitiā, audiamus nunc à te respō-
 sum exultatione & lætitiā dignum.
 Audisti te concepturam parituram-
 que filium, sed ope & virtute Spiri-
 tus sancti. ecce angelum tuum re-
 sponsum præstolantē; tempus enim
 est vt reuertat ad Dominum, à quo
 missus est. Expectamus & nos, ô
 Domina nostra, sententiā damnatio-
 nis miserabiliter oppressi, verbum
 tuæ misericordiæ. En oblatum tibi
 nostræ salutis pretium. Vnde si con-
 sentis, mox liberati erimus id ipsum.
 miserabilis Adam cum tota sua po-
 steritate tanto tempore à Paradiso
 exulante, supplex obtestatur, idem
 Abraham & David cum omnibus
 alijs sanctis Patribus habitantibus in
 regione vmbre mortis precatur, idē
 denique flexis genibus, oculisque la-
 chrymantibus suppliciter à te expe-
 ctat totus mundus: & meritò, nam ab
 ore tuo pendet miserorum consolati-
 o, captiuorum redemptio, damna-
 torum liberatio, & vniuersi generis
 tui

Esa. 9.

B. VIRGINE. 157

tui salus. Da ergo Domina velox responsum, non modo à terra, sed etiã ab inferno & cælo tanto desiderio expectatum: imò rex ipse & Dominus vniuersitatis huius, quantum speciem tuam desiderauit, tantum nunc expectat responsionis tuæ consensum, quia per illam constituit saluare mundum. Si ergo copiam illi feceris tui respõsi, faciet ille vicissim copiam nostræ salutis. An non ipse est ille, quem tanto desiderio quærebas, pro quo gemebas, ac noctu diu. que orando suspirabas? Ecce tu es illa ipsa tanto tempore promissa, illa tantopere expectata, illa ab omnibus tamdiu expetita, & per quam ipse

DEVS Rex noster ante omnia sæcula decreuit operari salutem nostram in medio terræ. Aperi igitur Virgo beatissima cor tuum fidei, labia confessioni, viscera tuo creatori. Iam vero perpende, quomodo illo temporis puncto virginis cor nouæ cælestisque lucis radijs illustratum totum se conuerterit ad Dominum, sentiensque se insolito charitatis ardore colliquescere, sincero deuotionis affectu plena, mente & corpore humiliter in terram prostrata, dixerit, Ecce

Psal. 73.

ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. O verba abbreviata, sed omnipotentia: nam quod tot precibus omnes Patres antiqui impetrare non potuerunt, illa his paucis simplicibusque verbis feliciter obtinuit. O quam fuerunt profunda, quam sancta, quam dulcia; quam prudentia & considerata. Vide in quam paucis verbis, quot mysteria comprehendantur, & tam sublimia, quam verba sunt humilia. Etenim hoc breui responso impleuit cælum lætitia, & omnes angelos exultatione. Spem erexit sæculo perduto, potestates infernalis perterruit, ac Patribus sub eorum tyrannide obscuro adhuc carcere conclusis, libertatis gratiam promisit. Vnde mox post cognitam Virginis responsionem, cæperunt pariter omnes cum incredibili gaudio cantare, & Dominum laudare dicentes. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia*

Luc. 1.

visitauit & fecit redemptionem plebis sue.
 9. CONSIDERA tantopere placuisse altissimo humilem huius ancillæ suæ consensum, vt post pronunciata verba illa, virtute Spiritus sancti æternum verbum caro factum sit & Virgo Mater Dei. Dic nunc, beatissimi.

B. VIRGINE. 125

atissima Virgo, quis sensus, quis tui
 cordis affectus fuerit illo momen-
 to, quo diuini verbi immensitas se
 abbreviauit tuoque benedicto vtero *Rom 2a*
 se inclusit? quando immensus ille
 diuinę caritatis ignis, qui missus erat
 in terram ad inflammandum mun-
 dum totus se contraxit & occulit in
 sacris visceribus tuis? quando incō-
 prehensibilis illa Dei maiestas cum
 omni diuinitatis plenitudine in vir-
 gineum tuum delapsa sinum, carnē
 assumpsit de carne tua, & ex filio al-
 tissimi, factus est filius tuus? Quæ ele-
 uatio mentis ob summum huius in-
 effabilis sacramenti stuporem, quæ
 suauitas, quæ amoris flammæ, qui
 caritatis excessus id temporis deuotū
 pectus tuum non occupauit? Si enim *Cant. 5.*
 anima sponsæ ad auditam sponsi
 vocem tota liquefacta est, tu quo-
 modo in ingressu ipsius sponsi in
 virgineum thalamum tuum, hoc
 est, inter tantas caritatis flammæ to-
 ta consumpta non es? O quam verè
 magna fuerunt, quæ in te operatus
 est is qui potens est; quæ quoniam
 nullo ingenio, nec humano, nec
 angelico comprehendi queunt,
 expone ea tu, quæ sola ea com-

prehendisti, ac in te foeliciter expecta es. Illo ergo puncto celebratae sunt in MARIA regiae illae nuptiae aeterni verbi cum natura humana. Tunc adimpletae sunt figurae, & scripturae veteris documenta. Tunc finem habere accensa sanctorum Patriarcharum, Prophetarumque desideria & vota. Tunc stillarunt caeli ante faciem

Psal. 67. Dei Sinai dulcissimum illud manna, illum verum & viuum panem, qui daturus erat vitam & salutem mundo.

Dan. 2. Tunc de monte abscissus est sine manibus humanis paruus ille lapis, qui deinde crescens impleuit totam superficiem terrae. Tunc fecit Deus nouum super terram, vt famina citra viri operam, sua propria carne vestiret hominem. Tunc magnus ille legislator, ex caelesti monte descendens ad dandam nouam legem mundo, faciem suam diuinam operuit velo

Ier. 31. carnis nostrae mortalis, vt possit in terra viuere & inter homines conuersari. Tunc denique misericordia & veritas obuiauerunt sibi, & iustitia & pax se mutuo osculatae sunt, perfectoque completum & consummatum est magnum diuinae pietatis sacramentum, quod postea ma-

Exo. 34.

Psal. 84.

nife.

B. VIRGINE. 198

nifestatum in carne, iustificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatū est gentibus, creditum est in mundo, & assumptum est in gloria, vbi simul cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

COLLOQVIVM.

LAETARE benedicta super omnes mulieres, gaude angelorū gaudiū & pax hominū, salus mundi, & exultatio totius generis humani. Gaude, & nos quoque miserandos. Eux filios fac participes tanti gaudij & exultationis, oro igitur te per hanc incomparabilem dignitatem tuam, & per plenitudinem gratiæ, qua omnipotens DEVS te eo vsq; extulit, vt tibi vna cum ipso omnia essent possibilis, velis ab ipso Domino copiosam & efficacem gratiam mihi impetrare, qua eundem Dominum possim spiritaliter concipere, & in anima mea semper conseruare, atque ita merear per Dei misericordiā fieri particeps beati illius præmij, & gloriæ, quam nunc possides in caelo. Nam Deus in hunc finem per te fecit se nostrum fratrem: vt sicut ille dignatus est fieri nostræ humanita-

136 MEDITAT. DE

tis particeps, sic nos quoque mereremur fieri consortes suæ diuinitatis. Supple ergo Virgo clementissima meam insufficientiam, imbecillitatem virium mearum confirma, vt ad eum finem peruenire possim, ob quem Dominus ex tuo vtero castissimo carnem suscepit. Noli mater nostra ad preces nostras viscera misericordiæ tuæ claudere: si enim tu, quæ es mater Dei, ac proinde & mater misericordiæ atque gratiæ, donum neges misericordiæ, quid faciet inops anima mea, quo ibit, quo se conuertet? Succurre ergo mihi ô mater misericors, neque ad multitudinem peccatorum meorum respicias, quia Creator noster non ad condemnandos, sed ad seruandos peccatores carnem ex te assumpsit. Recordare te quoque ratione peccatorum ad tantam dignitatem euectam, vt esses mater Dei, Regina mundi, culta & honorata ab omnibus creaturis.

DOCUMENTA.

I. **B**EATISSIMA Virgo animaduertens se modo tam insolito, & tanto
 lau-

laudum præconio salutari ab Angelo, turbata est, seq; colligens examinavit qualisnam esset ista salutatio. Vnde mulieres omnes discere possunt, si quando ab aliquo præter morem laudentur, & verbis æquò humanioribus honorentur, ipsas quoque debere conturbari, & suspectum habere laudatorem. Si enim fas fuit Virgini turbari ad verba Angeli, quanto iustius turbare debent aliæ femine ad verba hominum, maxime hoc tempore, quo inter homines tanta regnat malitia & improbitas.

2. Si dignè volumus salutare gloriosam virginem, ita vt salutatio nostra sit grata & accepta, operam dare debemus vt comitem primo nobiscum habeamus puritatem cordis, quod faciemus, si desistamus à peccatis, & vitam nostram emendemus: vnde & hic angelus purissimum mundissimumque speculum Virginem salutauit. Secundo debemus eam salutare fideliter, hoc est, non ore tantum, sed etiam corde & opere, non tepidè, sed ardentè, dedicando totum cordis affectum, omnesque vires nostras in eius cultum & seruitium, quod significatum est nomine angeli Gabrielis, quod interpretamur, fortitudinem Dei. Tertio debemus eam salutare reuerenter & humiliter, sicut quoq; ab angelo fuit saluta-

Ecl. 5.

lutata, nempe maxima submissione. Denique salutanda est nobis frequenter, omni loco, & omni tempore. qui enim hunc morem habent, non dubium quin vicissim fructum suae salutationis ab ea recipiant: nam cum illa sit humilima, non dedignatur resalutare suos salutatores. Ergo si sanctis votis & desiderijs, crebrisque & deuotis salutationibus ei obuiam procedamus, non negliget illa cum auxilijs opportunis, & donis caelestibus nobis occurrere, sicut de ea scriptum est, obuiabit illi, quasi mater honorificata.

3. Beatissima Virgo, non modo fuit humilis mente, sed etiam sermone & opere. cordis quidem humilitatem demonstrauit dum se tantis angeli laudibus indignam reputans, non gauisa, sed turbata est. In sermone quoque humilem se ostendit, quando certior facta se esse electam in matrem Dei, dixit. Ecce ancilla Domini. Opere etiam demonstrauit, quando post conceptum Dei filium se contulit ad visitandam, & iuuandam cognatam suam Elisabeth. Vnde discimus verum humilem non esse, qui tribus illis modis non demonstrat humilitatem. Suis enim qui magnam humilitatem declarant, verbis, sed si quid ab alijs illis dicatur

con-

contra eorum existimationem, mox offenduntur. Sunt & alij, qui humiliter de se sentiunt, sed ab alijs tales haberi nollunt, nec induci possunt ut se vel coram equalibus, vel inferioribus humiliarent. Alij vero sunt, qui facile quidem exerceri se in operibus humilibus & abiectis, sed in ijs suam querunt laudem & existimationem. Omnes hi carent huius virtutis merito: ii enim soli verè humiles sunt, qui beatissime Virginis exemplo cogitationibus, verbis & factis semper se humiles demonstrant.

4. Beata Virgo audiens tanta encomia, turbata est: hoc vnum ex certioribus signis hominis corde humilis est, si ad laudes suas turbetur, easque moleste ferat: & contra, si ad contumelias & irrisiones hominum, letetur & gaudeat. Qui verò letitia gestunt in laudibus suis, & multo magis, qui ipsi predicant & ostentant res suas, eo quod in aliquo pretio habeantur: ac rursus ij, quidam nulla vel exigua eorum ratio habetur, aut pro meritis non honorantur, mox perturbantur & grauati ferunt, omnes eiusmodi quantumuis honestam vitam, atque etiam religiosam ducant, potius viam superbiæ quam humilitatis ingressi sunt.

5. Beata Virgo, cum apparuit ei Angelus, domi erat, & cubiculo suo inclusa. Si digni esse velimus celesti visitatione, interni quæ consolationibus, operam debemus adhibere, ut in nobis ipsis collecti simus, & à nimia hominum consuetudine abstracti. Nam verba quibus nos alloquitur Spiritus sanctus, sunt admodum delicata & suavia. Vnde nec audiri possunt ab hominibus occupatis & distractis, sed solum à quietis & solitarijs, secundum illud scripture Ducam eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius.

6. B. Virgo ad faustam salutationem Angeli, cum tanta laude coniunctam turbata est, & se ipsa collegit. Vnde discimus affluente consolationum spiritualium copia, rebusque huius mundi prosperè euntibus, nos potius debere timere, ob periculum grande nobis impendens. Contra verò irruentibus in nos afflictionibus & calamitatibus, potius letari, tum ob maiorem securitatem talis status, tum etiam ob magnitudinem meriti.

7. Virgo benedicta cum verbis angeli esset turbata, antequam responderet, se ipsam collegit: quo exemplo docemur, dum sentimus nos aliqua perturbatione mentis vel tentatione commoueri, po-
tius

tius tacendum, quam aliquid decernendum esse. deinde considerandum quid factu opus sit, ne quid dicamus vel faciamus, cuius nos postea peniteat, conuenienter documento sapientis. Fili sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis.

Eccl. 32.

QVO

um,
di.
ter-
nus
us,
ab-
itur
ata
ho-
um
cri-
, &
em
ur-
us
ia,
us,
um
ir-
ri-
u-
si-
eli
se-
ur,
ne
o-
iur